Dissertatio Medica.

Choleræ Asiaticae brevis expositio,

cujus Part. II.

Venia Exper. Fac. Medic. Lundens.

Præside

JAC. SÖNNERBERG,

Med. Pract. Prof. Reg. et Ord.

Pro Gradu Doctoris

Publicae disquisitioni subjicit

L. J. FLYGARE,

Med. Lic. ad Cohort. Equestrum Principis Medicus.

In Academia Carolina d. 21 Junii 1838.

h. a. et p. m. s.

Lundæ,

Typis excudit C. F. Berling,

universitatis typographus,

MDCCCXXXVIII.

Hulda Föräldrar

tillegnadt

med sonlig kärlek och tacksamhet

af

L. J. FLYGARE.

rem et sidera insimulantes, in atmosphæra gigni et miasmatis more propagari contendit. Argumentis utrinque abundat. Sed longum foret singula referre. Validissimum pro contagiosa indole argumentum est, quod a proventu et propagatione morbi, statim post hominis cujusdam a loco infecto adventum, desumitur. Ejusmodi exempla sexcenta habentur, nec in patria defuerunt; communicatorum nomina sæpe nota exstant; primus ægrotus, prima domus signari potuit, unde infectio postea late extensa fuit; per strictam separationem, omnem cum ægro communicationem impedientem, morbus præcaveri potuit: in domum autem illatus haud raro intra aliquot horas vel dies hanc integram extinxit. Quibus vero argumentis, a fideli et certa experientia desumtis, illi persvaderi nequeunt, qui choleram a contagio atmosphærico ortam et propagatam esse volunt, licet per duo jam decennia orbem terrarum peragraverit et sub coelo tam diverso, haud minus quam pestis orientalis et variolæ, indolem suam specificam vindicaverit. Nihilominus concedunt, aegrotos aut eorum mortua corpora nonnunquam contulisse ad morbum excitandum, non tantum dynamice per solum metum, sed etiam physice per materiam corruptam; concedunt aegrotos vel demortuos caussam morbi excitantem

constituisse, per exhalationem, per liquida, vomitu et alvo evacuata, jam peculiari modo corrupta; per unicum cadaver, eo magis per plura accumulata, aërem ita corrumpi, ut homo adhuc relative sanus, sed per characterem epidemicum atmosphæræ jam prædispositus, post influxum aëris, ab ægroto aut demortuo corrupti, in morbum incidere possit; atque hoc tantum respectu et hoc sensu choleram dici posse contagiosam. Utique dubia haud raro visa est morbi animali- contagiosa propagatio, unde ad litemcom ponendam, utroque modo, absolute contagioso atque miasmatica infectione, communicari quidam recentiorum statuerunt. Tutius autem est choleram pro morbo absolute contagioso habere, quam falsa opinione decipi.

Sed ad infectionem requiritur dispositio, quæ major in viris quam foeminis, in adultis quam infantibus est. Singula quæ cutis et tubi intestinalis vim infrigunt et vegetationem mutant, atque animum deprimunt, ad morbum disponunt. Frigus, in primis in vicinitate aquarum acceptum; humida atmosphæræ conditio, ventus frigidi boreales. — Diætæ vitia, cibi vel nimia, quantitas vel noxia qvalitas; vegetabilis, quæ ventrem inflare et digestionem laedere solet; animalis, quæ gastricimum inducere, si largus et solus sit; justum utriusque connubium, ut

in reliqua vita, ita in epidemia cholerica observari debet; mediam viam incedere tutissimum; neque tamen consvetudinis vis negligenda est, a qua sine damno ex præcipiti non receditur. Animi motus deprimentes majora damna habent. — Singula quæ vim vitalem a periferia corporis ad organa centralia, a cute ad systema gangliosum epigastricum, ab hoc ad medullam spinalem atque inde ad cerebrum ducunt, regnante epidemia, ad morbi impetum disponunt, ante omnia terror et metus.

A dispositione aegroti individuali gradus morbi et forma pendet; ubi illa minor hic mitior evolvitur; si sthenica, cordis et vasorum reactio provocatur et cholera erethica, febrilis emergitur, in congestiones ad pulmones, viscera abdominalia, cerebrum, prona; si gastrica, cholera ejusdem indolis oritur; si vero dispositio in nervis et sanguine hæret cholera asphyctica, omnium perniciosissima, quæsæpe intra pucas horas ægrotum interimit. Qui toto corpore æqaliter passi sunt, qui fortiter vomuerunt, alvo large fluente, et spasmis agitabantur, minus periclitati sunt, quam qui provinciam quandam systematis nervosi solam correptam habuerunt; sanabantur, quibus crisis per cutem vel alvum comparuit. Qui morbo adgressus urinam mittere potest, levius correptus est, quam qui ischuria renali larborat. Respiratio quo frigidior, et jactura ca-

loris animalis major, eo tristius judicium habuit. Conjunctivae rubor letatle signum fuisse traditur. Quæ ab interioribus corporis partibus ad periferiam revocant, salutaria fuerunt.

Ratione periculi nullus unquam morbus pestilentior fuit. In Asia spatio quotuordecim annorum numerus mortuorum ad octodecim milliones assignatur. In Europa plura centena millia hominum cholera trucidavit. *Moscoviæ* ex ægris 8156 a 16 Septembr. 1830 ad Januar. 1831 mortui 4410; *Petropoli* ægri numerati sunt 9246 et mortui 4758 a mensis Junii d. 26 ad 17 Novemb. 1831. *Viennæ* morbus incepit d. 14 Sept. 1831 et grassabatur ad 3 Febr. 1832; ex aegrotorum numero 4124 moriebantur 1971. *Berolini* ab initio Septembris 1831 ad 18 Januari 1832 ex 2261, mortui 1420. *Parisiis* apparuit cholera d. 22 Mars 1832 et usque 28 Aprilis ejusdem anni in nosoconiis 12697, in tota urbe 25000 morti occubuerunt. *Londini* morbus prima vice incepit d. 11 Febr. 1832 et duravit ad 21 Apr.; correpti sunt 2492, e quibus mortui 1309. In clade *Gothoburgensi* a 26 Juli 1834 perierunt 2500; in *Holmiensi* ex 7889 correptis 3278 interemti sunt. *Junecopiæ* civium fere septimum quemque occubuisse fama fuit; in vico quodam Bauhusiæ, Grunnesund, morbus adeo perniciose grassabatur, ut homines ad

mortuos sepeliendum non sufficerent, quorum igitur cadavera, perticis imposita, in fimenta ejecta sunt.

Varia utique remedia et consilia proposita sunt mox ab adventu periculosissimi morbi, quorum ope contagium destrueretur vel a sanis arceretur. Maxima spes in chlorio posita fuit, cum ejus vapores contra pestin et typhum contagiosum efficaces sint; sed contra choleram orientalem nihil valuerunt; qui iis utebantur haud raro cholera correpti sunt et oppressi. Neque aliæ fumigationes usui fuerunt, ne camphoræ quidem, quibus, qui contagium ab insectis, in atmosphæra degentibus, repetunt, haec animalcula occidi posse perhibuerunt. Nec medicina alia præcepta et auxilia prophylactica habet, quam quae vivendi rationem generaliter respiciunt; sanis medicina noxia est:

Principale prophylacticum in cura puritatis aëris et munditiei continetur, qua morbus vel omnino avertitur, vel si erumpat, mitior redditur; infima plebs, quæ in humidis et sordidis casis vivit, plurimas victimas morbo reddit.

Alterum victum et amictum respicit. Ratione alimentorum et potuum a consvetis recedere non oportet, si bona fuerint, et justa quantitate sumta; corrupta, dura et pingvia nocere patet, noceut quoque fructus immaturi;

pauperibus in primis prospiciendum, qui cibis parcis et male indolis haud raro uti necesse habent; ingurgitatio fugienda, quae vim ventriculi sollicitat vel vincit. Refrigerium sollicite evitaudum est; quo vero consilio neque sudare vel in lecto esse, nec panno vel emplastris ventrem obtegere opus est: refrigerium tutius avertit, qui nihil vel præpropere de vestitu jam consveto atque tempori anni accommodato, mutaverit. Etiam de requie et motu generalia praecepta valent. Singula quae vires corporis aut animi admodum intendunt et fatigant prohibenda; nocet omnis excessus. Animum erectum, a metu et terrore alienum servare, ut sanis, ita morbo correptis, optimum.

Therapiam cholerae asiaticae potius generatim indicare, quam absolutam proponere hujus loci est; itaque antequam ad medendi methodum definiendam acceditur, respicienda est aegroti individualis constitutio, constitutionis epidemicae et endemicae indoles, atque influxus, quibus aeger expositus fuerit; quæ singula ut morbum aliter atque aliter in corpore individuali fingunt, ita diversam et individualem therapiam requirunt; unde patet, specificam non dari nec pro omnibus unam medendi methodum; neque tamen nimis anxium in hauc rem in morbo accutissimo medicum esse decet.

Deinde vero respicienda sunt tempora morbi et indoles; virium quoque ratio habenda est.

In stadio primo aegrotum, mox lectum moderate calidum occupare jussum, pannis et stragulis obtegere et diaphoreticis tentare usitatissimum fuit, quemadmodum, fieri decet in aegritudine a refrigerio orta, catarrhali, rheumatica. Ad sudorem provocandum et morbi solutionem infusa tepida aromatica commendata sunt vel etiam frigida aqua. Ubi remissio symptomatum non secuta fuerit, incitantia et diaphoretica fortiora adhibita sunt, aetheres, camphora, spiritus vini camphoratus, spiritus mindereri, opium et ex nauseosis ipecacuanha, sola vel connubio propinata. — Neque externa remedia omitti possunt, si suppressa cutis functio restituatur: calor externus major, per pannos, tegulas, arenam, cineres, salem communem calefactos, atque frictiones.

Sed methodus diaphoretica omnibus casibus satisfacere non potuit, quia indoles morbi sæpe alia fuit, nec non gastrica, quæ evacuantium usum provocavit; rarius autem laxantia adhibita vel proficua fuerunt, eo magis vero emetica, quæ mox ab exordio aegritudinis sumta, eximium usum habuerunt. Exhibitus fuit ipecacuanhæ secrupulus dimidius, unus, per vices repetitus, donec emesis sequeretnr, qua primum cruda ingesta et deinde bilis eva-

cuata sunt; sequebantur dejectiones alvinæ biliosae et sudor, quibus morbus soluebatur. Usum tartari emetici alii disvadent, alii ut remedium efficacissimum contra omnem choleram statim sub exordio commendant; primum larga emesis, deinde alvus biliosa, secuta est, quo facto emeto-catharsis siluit. Salis communis uncia in aquæ unciis sex soluta et cochleatim ægro porrecta eundem effectum emeticum habuit. Antcida quoque haud raro indicata fuerunt, itaque alcalia, soda, sal tartari, lapides cancrorum, magnesia utiliter exhibita sunt, cum aromaticis juncta. Anxietates, cordis palpitationes, capitis temulentia, a succo citri cum aqua et saaccharo, acido tartari cum bicarbonate Sodae, acido Halleri aliquando dissipata fuerunt.

Ubi morbus, metu et terrore in debilibus provocatus, nervosæ indolis fuit, neque diaphoretica sola, nec omnino evacuantia gastrica usui esse potuerunt. Jam remedia nervina, caute administrata, indicata sunt et adhibita. Solutio camphoræ spirituoso-ætherea, tinctura Valerianæ aetherea, castoreum, moschus, opium, magisterium bismuthi, parvæ ipecacuanhæ doses, cet. Neque tamen ægrotus incitantibus nervinis obrui debet, interdum enim hæc choleræ species adeo mitis fuit, ut solo regimine sanari potuerit; unde therapia secundum homœ-

opathiæ principia instituta salutarem effectum habere potuit.

In cholera congestiva, subinflammatoria, necessaria fuit cauta sanguinis depletio; indicatio habetur ab habitu aegroti plethorico, a genio epidemiæ et potentiis nocentibus, ab ipso loco congestionis, in capite, pectore, abdomine. Universalis medicina esse non potest; justa congestionis ratione habita hirudines ad locum adfectum ponere, vel si symptomata graviora fuerint, si pulsus frequens, palpitatio, calor capitis, ardor epigastrii urens, sitis insatiabilis, tam generalis quam topica sanguinis evacuatio necessaria, esse potest, nunquam tamen nimia; sudorem provocat, arteriarum actionem intendit, respirationem liberiorem reddit, et imminuta in visceribus sanguinis copia, congestiones tollit; noxia vero, ubi symptomata non urgent, atque in malo plane nervoso omnino rejicienda, ob asphyxiæ metum. Cutis icitatio mechanica aplerisque commendatur: calor externus, siccus vel humidus, frictiones, sinapismi; potentiora irritamenta raro profuerunt. Quo magis ad statum nervosum vergit, in primis ab animi affectibus excitatum, eo quoque magis nervina indicata sunt. Opium vi sua diaphoretica sub stadio prodomorum, parva dosi exhibitum et sæpius repetitum, profuit, liberiorem autem ejus usum apoplexia subsecuta est; sub ipso insultu minus proficuum; optime cum nauseosis, jungitur.

Sub ipso insultu magisterium Bismuti ut nauseosum commendatur cum hydrargyro miti vel ipecauanha, valeriana aut camphora junctum. Aqua frigida vel glaciei frustula, parva quantitate hausta, optime conduxit tam ad sitim quam morbum exstingvendum.

Sub paucorum remediorum usu, vel continuatione eorum, quæ sub stadio primo adhibita sunt, ipse insultus superatur, nisi cito transierit in paralyticum et asphycticum, morte sæpius terminatum.

Ad stadium congestionis præcavendum chininum sulphuricum commendatum; tutissime autem præcaveri credimus moderato incitantium usu; præsente vero, venæsectio, hirudines, frigida capitis fomenta, hydrargyrus dulcis præcipua auxilia sunt; exinde per methodum antiphlogisticam solam morbus in stadium reconvalescentiæ deducitur.

In cholera asphyctica pulsus non percipitur, corpus frigidum est, habitus vivi instar cadaveris; congestio sanguinis in cerebrum et ipsum cor locum utique habet; neque tamen venam secare usum habebit; sanguis ater, spissus e vena exire nequit; frictiones et calida externa atque stimulantia interna usu carent; unica in frigoris externa et interna adplicatione spes et salus est.